



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXXII. De immensa Christi charitate, quâ dilexit nos, dum in ara crucis pro salute nostra voluntariè se voluit offerere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CXXII.

De immensa Christi charitate, dum in ara crucis pro salute nostra voluntarie se offerre voluit.

*Oblatus est, quia ipse voluit. Isa. 53. 7.*

1.

**M**agna erat illa charitas, quā Moyses quondam populum suum persecutus est, pro cuius salute ipse de libro viventium à DEO deleri, & expungi voluit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Exod. 32. 31. Ecce Moyses non corpus tantum, sed & animam pro populo suo devovit. Magna, inquam, hæcerat charitas.

Similis Moyfi fuit S. Paulus Apostolus, qui pro Hebræis fratribus suis fieri anathema à Christo optavit: *Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Rom. 9. 3.

Verum longè major erat illa charitas, quā Christus nos dilexit: illorum enim erat solùm in affectu, Christi verò in affectu & simul in effectu, dum in cruce fieri pro nobis voluit maledictum, ut nos à maledicto & inferno liberaret: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Gal. 3. 13. Ex quo abunde patet, quàm immensam nos charitate dilexerit: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me;* Gal. 2. 20. Supra quod egregiè S. Bernhardus: *Quia eadem charitate, quā mortuus est pro omnibus, mortuus est pro singulis.* S. Bernh. serm. 42. in Cant. Audi plura.

2. Sancta Brigitta Septentrionis Regina sanctissima audierat aliquando de Christi passione ac doloribus, quos pro peccatis nostris pertulit, concionem insignem ac devotam; insequente nocte apparuit illi pientissimus Dominus ac Redemptor noster Christus, totus sanguine purpuratus, atque in ea specie, sicut quondam in cruce pendit ad Brigittam dicens: *Intuere Vulnera mea, ad quod cruentum & Gimber Unus pro omnibus.* S. Bernardus in eius Vita 23. Julii. M m m lamem-

lamentabile spectaculum Regina illacrymans: *Heu, inquebat, mi Domine, unde tibi modò hæc Vulnera?* Cui ille: *Ita me etiamnum vulnerant charitatis mea contemptores, qui non æstimant, neque perpendunt, qualia ac quàm indigna pro ipsorum salute pertuli; unde fit, quòd post tot confessiones denuò prolabantur plerumque in antiqua peccata: Crucifigentes sibi metipsis Filium Dei; & ostentui, ac contemptui habentes. O cœli obstupescite! hoc homo Christianus?*

Hebr. 6. 6.

Lud. Blof. in  
Monili Spiritu.  
sap. 1.

Alià vice Christus Dominus ad eandem Sanctam Reginam testatus est: Ego sum charitas summa, nam omnia, quæ ab æterno feci, & quæcunque facio, ac in futurum faciam, similiter ex mea charitate procedunt, procedentque. Dilectio mea erga hominem modò æquè grandis ac incomprehensibilis est, sicut erat tempore passionis, quando per mortem ex nimia charitate liberavi omnes electos. Et fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissimâ voluntate & perfectissimâ charitate corpus meum traderem, eandemque passionem ac mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus. O extasin amoris!

Idem loc. cit.

Et hoc idem edocuit Christus Salvator noster S. Gertrudem, quòd homo attendens imaginem Crucifixi Jesu, in corde suo existimare debeat, ipsum Christum blandâ sibi voce dicere: *En vides quomodo causâ tui amoris pependerim in cruce nudus, despectus, totòque corpore vulneratus, at per singula membra distentus! Et adhuc tanto charitatis dulcore cor meum erga te efficitur, ut si salutè tua expediret, aliterque salutem æternam consequi non posses; vellem pro te sola tolerare omnia, quæ pro toto mundo toleravi. Vade nunc, & pondera hoc pondus ignis, quàm immensa sit charitas Christi Jesu crucifixi erga te! Et tu quid hætenus pro illo? Audi fulmen Doctoris Gentium: Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha.*

1. Cor. 16. 22

3. Ut autem infinitam hanc Filii Dei in nos charitatem magis capiamus, & irreconciliabile contra peccatum odium concipiamus, consideremus animo, quòd apud Patrem non solum vadem pro peccatoribus se stiterit, sed & peccata nostra in corpore suo eluenda suscepit; hinc rectè Christo sub ictu flagellorum posito, vel cruci jam affixo illa Sapientis verba accomodes; *Tolle vestimentum ejus, qui fideiussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo.* Supra quod Cornelius: *Christus, inquit, spondens pro debito & culpa extranei Adæ, & hominum peccatorum à Deo alienorum, spoliatus fuit vestibus & stragulis, adeoque nudus pependit in cruce, in eaque velut in lecto mortis obdormiit.*

Prov. 20. 16.

Jacob, Salian.  
de Timore Dei  
lib. 5. c. 21.

4. Audi, & considera de hac veritate typum perelegantem. *Venerit Peregrinus quidam in peregrinatione sua longinqua ad regni alijus*

cujus metropolim, ubi cum bene manè pararet egressum, nuntiatur omnes civitatis portas esse obseratas, omnibus compitis ac plateis geminata præsidia. Cùmque omnes attoniti inquirunt, quid dies illa parturiat, apparet majore in plateâ excitatum theatrum, pullo peristromate undique convestitum. Populus magistratum rogat, quid sibi velit hic lugubris apparatus? Ille populum amandat ad regiam; ubi rursus interrogat, an quo supplicio vir aliquis insignis afficiendus sit, ut hæc nova rerum facies significat. Responsum accipiunt, Regem eo die capitale, planèque horrendum exercere judicium: De quo? inquirunt; illi cum alto gemitu, de unigenito filio suo. Attoniti cives circumspicere sese, atque obmutescere, mòxque receptâ voce: Oportet igitur regium hunc adolescentem attentati parricidii reum esse, nihilque ullo in facinore intentatum reliquisse. Tantùm abest, ait palatina custodia; Princeps est observantiâ in parentem, benignitate in subditos, pietate in Superos, innocentiam in omnes singulari. Princeps, quo neminem Dei donis cumulatiorem sol videt in terris. Hic cives: necesse est ergo parentem illum omni barbarie ac feritate diriozem, neque par unquam monstrum furiali partu effusum in lucem. Imò contra, inquit præsidium, nemo clementior, nemo ad misericordiam adversus delinquentes propensior.

Quæ ergo causâ est tam horrendæ, tam luctuosæ, tam sæculis omnibus inauditæ tragœdiæ? Ecquid tandem potuit talem Patrem adducere ad mortem tali filio decernendam? ad capitale supplicium carnificis manu unigenito filio statuendum? Nimirum, ajunt, Regius hic juvenis, qua est in omnes humanitate & clementiam, unum de fontibus emisit ex carcere, tanto cum parentis dolore ac stomacho, ut ejus loco velit filium unigenitum, alioquin innocentissimum, fractis cervicibus pœnam luere capitalem &c.

5. Adeamus nunc animo Jerosolyman, sub illum ipsum diem, qui Christum in cruce patientem vidit, & luxit. Civitas in armis est univèrsa, populus stupet attonitus, tota terræ facies atrâ eclipsi divinitus obnubitur, astra lumen mundo negant, cœlum gemit, lapides dissiliunt, sepulchra sponte panduntur, omnia elementa turbantur, funestum crucis theatrum in monte Calvario erectum est; cui tandem fini? Dicent Angeli ejus; Rex cœli & terræ, ille *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis* hodie cruci suffigit unigenitum Filium suum. At quem Filium, Deus immortalis, quem Filium? Exemplar innocentiae & sanctitatis, *agnum sine macula*, gloriam humani generis, *Levit. 9. 3.* Electorum omnium caput, delicias amabilissimas parentis sui. Agit autem in crucem, ut apparet, tam invitus, ut vestimenta sua ex animi

Marc. 15. 38.

dolore dilaceret (nam velum templi scissum est in duo à summo usque deorsum) & justitiam indicat orbi terrarum universo. Dies, & quod tandem est hujus agni scelus? Audi terra quæ loquor: Adamum mortis reum eduxit è carcere: Judex vicariam ejus mortem petit, & innocentem luere vult, quod admisit nocens: *O felix Ada peccatum, quod talem ac tantum meruit habere Redemptorem.*

Ecclesia in Sabb. S.

Act. 8. 32.

6. Si hæc te non movent, anime mi, rupe & caute Marpesia durior es. Eunuchus ille Regina Candacis, homo Gentilis & Abyssinus, ubi nunc regnat Preto-Joannes, nullam Christi & Evangelicæ legis habebat notitiam. Legerat is in via Isaiam Prophetam: *Tantum ovis ad occisionem ductus est*, quod totum Capitulum 53. de Christo patiente & crucifixo agit; ubi per raptum supervenit Philippus Diaconus, eique Christum & hunc crucifixum prædicavit, sine mora ab illo ardentissimo zelo commotus, baptismum petiit: *Credo Filium Dei esse Jesum Christum &c.* De quo Eunuchus ulterius scribit S. Hieronymus, quod postea factus sit Æthiopum & Abyssinorum Apostolus, & ibidem Christum crucifixum instanter prædicaverit, ac tandem martyrii coronâ fuerit decoratus. Hoc potuit unica seria cogitatio ac meditatio de amore Christi crucifixi efficere. Et tu homo Christiane,

1. Cor. 16. 22.

adhuc stas immotus? Repeto sententiam S. Pauli: *Si quis non amat Dominum nostrum JESUM Christum, anathema sit.*



CON.